



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliae Catholicae De Sacris Arcanis Deiparæ Mariæ Et Iosephi

Cum quadruplici Indice

Cartagena, Juan de

Coloniae Agrippinae, 1613

Homilia Sexta. Ex diuinis oraculis aggredimur iam probare perpetuam
Deiparæ Mariæ virginitate[m]: Exordimur aut[em] à tribus valde
memorandis; Primum est: Inimicitias ponam inter te, & muliere[m], & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51414)

HOMILIA VI.

Ex diuinis oraculis aggredimur iam probare perpetuam Deiparæ Mariæ virginitatem: Exordimur autem à tribus valde memorandis; Primum est: Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & inter semen tuum, & semen illius: Secundum: Mulier, si suscepto semine pepererit masculinum: Tercium: Viam viri in adolescentula.

Gen. 3.

Leuit. 12. Gen. 31.



VAMQVAM hæretici Ebionitæ, primi, & præcipui Marianæ Virginitatis hostes in Dominico agro instar pestifimæ zizanix pullulantes (vt auctor est Tertullianus) & tamquam ex serpentino semine procreati nouæ Euæ calcaneo insidiantes, diligentes adeo, ac celeres illius impugnatores se exhibuerunt, vt ab incunabilis ipsius Ecclesiæ Catholicæ acerrimè illam infestarentur, vt testis etiam omni exceptione maior extat petrebris Martyr Ignatius, qui Apostolorum vidit ætatem, & illius ecclesiæ certamina expertus est: hic certe non semel de impiis hæreticis conqueritur, quod Mariæ virginitatem proscindere tentarent: Partum (inquit) Virginis calumniantur: diligentior tamen, & multo sollicitior exitit Dei prouidentia, virginitatem futuræ matris suæ à primordis creationis mundi, singulari oraculo stabilitæ, quo illam velut scuto præmunitam hæreticorum iacula lædere nequirent, vnde egregie ad id respiciens Leo Papa serm. 2. de Natiu. Domini dixit: Deus omnipotens, & clemens statim, vt nos Diabolica malignitas veneno suæ mortificauit inuidiæ, prædestinata renouandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa mundi primordia præsignauit. Primo enim cap. Gen. affatus Domi-

Tertul. de carne Christi.

U. Ignat. Mar. in ep. ad Trallianos, Philadelph. Magnesianos.

Leo Papa.

nus seductorem serpentem, verba illa dixit: Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: in cuius loci expositione, licet quantum ad id variant Doctores, quod quidam legunt ipse seu ipsum, scilicet semen coneret caput tuum, vt D. Cyprianus, Irenæus, Hieronymus, Chrysologus, & Paraphrastes Chaldaeus: Alij verò, vt D. Chrysostomus, Augustinus, Gregorius, Ambrosius, Bernardus, Beda, & Eucherius vulgatam lectionem seruantes legunt: Ipsa coneret caput tuum. Consentiant tamen in eo, quod licet hoc, vel illo modo legas, hoc loco prædicatur Deiparæ Mariæ virginitas, cum de solo semine mulieris facta sit mentio: si enim illa ex viri semine conceptura esset, non matris solius, sed viri præcipue semen diceretur eius filius, per quem ipsa caput serpentis contritura erat. Hinc eleganter Rupert. dixit: De quo semine hæc dicuntur, nisi de vno qui est Christus? ipse namque solus ita semen mulieris est, vt non etiam viri semen sit. consonant verba antiquissimi auctoris Serapionis, apud Lippomanum super cap. 3. Gen. ubi ait: Inimicitias ponam inter semen tuum, & semen illius: nonne clarum est pronunciatum de Christo? quem sine semine peperit de fuga inuenerata Virgo; singulara enim semen, non numero multitudinis, femina: hanc intelligentiam illustrat mirifice quod S. Cyprianus acute adnotauit dixisse Deum: Ponam inimicitias inter te, & mulierem: non verò pono, ne ad Euam pertinere videretur. Verbum ergo promissionis protulit, quod transmittitur in futura: Ponam, inquit, inimicitias inter te, & mulierem: id est, suscitabo mulierem, quæ repudiata facilitate credendi, non solum te non audiat, sed ipso etiam Gabriele deferente verbum, rationem promissionis exigit nouitate, dicendo: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Secundum testimonium ad probandum B. Virginem absque violatione integritatis Christum concepisse, celebre

D. Cypri. lib. 2. c. 11. aduer. Iudæos c. 9. Iren. li. 4. con. hæres. c. 78. D. Hiero in loco prædicatur Deiparæ Mariæ virginitas, cum de solo semine mulieris facta sit mentio. S. Chrysol. ser. 163. D. Chrysol. 17. in Gen. D. Aug. l. 12. de Gen. ad lit. ca. 36. & li. 2. de Gen. cont. Manic. D. Greg. li. 1. Moral. D. Amb. lib. 7. de laud. D. Bern. h. de laud. Magn. Eucher. li. 2. S. Cypri. li. 2. testim. aduer. Iud. c. 9. Rupert. li. 3. in Gen. Serapio apud Lippom. Luc. 1.

Ccccc est

Leuit. 12. est apud Patres illud Leuitici : Loquutus est Dominus ad Moysen, dicens : Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda est. **Cyril Ale.** erit &c & paulo inferius : omne sanctum li. 8 in Leuit. non tanget, nec ingredietur in sanctorum, do-
D. Bern. ser. nec impleantur dies purificationis : quibus 3 de purif. verbis Diuinus legislator excepit B. Vir-
Magn. ginem, quam sine suscepto semine, diu-
S. Ildeph. no spiritu afflante, concepturam præ-
ser. 1. de pu- gnolcebat, alioquin superuacaneum fuis-
rif. Ma. set dicere, Mulier, si suscepto semine, cum natu-
D. Chryf. raliter nulla possit parere, nisi illud sus-
ora de oc- ceperit. voluit igitur in ea lege Mariam
casu Domi- excipere, quæ paritura erat sine suscepto
ni semine. Atque hanc esse germanam in-
Orig. hom. 8. telligentiam huius loci, tunc mihi præci-
in Leuit. pue suadent. Primum est, quod agnoscut
Eutym. su. hoc arcanum in his verbis latere omnes
per Luc. c. 2. sancti Patres, & alij grauissimi Doctores,
Euseb. Emif. Cyrillus, Alexandrinus, Bernardus, Ild-
de purif. Ma. phonius, Chrysostomus, Origenes, Eu-
Theoph. su. thymius, Eusebius, Theophilactus, Titus
per c. 2. Luc. Bostorum Episcopus, Aymon, Guerri-
Titus Episc. cus Abbas, Laurentius Iustinianus, Beda,
ibid. Enricus, Paulus Burgensis, Lyranus, Hu-
Aymon ibid. go Card. Rabbanus, Clarius, Glosa ordi-
Guerrie. naria, & alij innumeri illius loci inter-
Abb ser. 1. pretes. Quia tamen omnium horum Do-
de purif. ctorum monumenta in medium produ-
Virg. cere molestum & inutile esse reor, pau-
B. Laur. ca, selectiora tamen, contentus ero pro-
Iust. in eod. ferre. D. Cyrillus Alexandrinus super
festo. Leuiticum hæc scripsit : Consideremus se-
Beda super cundiam historiam, si non videtur quasi ex su-
c. 2. Luc. perfluo additum. Mulier, quæ suscepto semine, &
Ericus hom. pepererit masculum, sed non ex superfluo ad-
de purif. ditur : ad discretionem namque illius, quæ
Paulin Burg. sine semine concepit, & peperit, istam ser-
super ca. 12. monem pro ceteris mulieribus legislator ad-
Leuit iecit. Subscribit quoque D. Bernardus
Lyran ibid. lem. 3. in Purificat. Mariæ : Quis, in-
Hugo Card. quit, non aduerat ipso sententia cuius ini-
ibid. tio liberam matrem Domini ab hac præce-
Rabban de pto ? putas enim, quia dicens Moyses, mu-
Clar. inst. c. 3. licrem, quæ peperisset filium, immundam ef-
Clar. or. 2. se, non tinerit super matre Domini blasphe-
Glo ord in mite crimen incurere, & idcirco præmiserit,
s. 21. Leuit. si suscepto semine ? alioquin, nisi paritu-

ram præuidisset sine semine virginem, quæ D. Cyril. necessitas erat de suscepto semine fieri men- tionem ? Patet itaque quod lex ista ma- in Leuit. trem Domini non includit, quæ non suscepto D. Bern. semine filium peperit. Purus ergo non pote- rat moueri animus eius, & dicere : Quid mi- hi opus purificatione ? cur abstineam ab in- gressu templi, cuius verum virum nesciens templum factum est Spiritus sancti ? cur non ingrediar templum, quæ peperit Dominum templi ? nihil in hoc conceptu, nihil in partu im- purum fuit, nihil illicitum, nihil purgan- dum, nimirum cum proles ista fons puritatis sit, & purgationem venerit facere delicto- rum breuius tamen Origenes ad idem in hunc modum loquitur : Non de super- fluo addidit legi- lator : Mulier, si conceperit semen, & pepererit filium, sed exceptionem posuit, quæ solam illam mulierem à reli- quis mulieribus segregaret, cuius partus non exceptione feminis, sed ex presentia Spiritus sancti, & virtute Altissimi fuerit : cum ergo omnes sancti Patres in hanc conspi- rent illius loci intelligentiam, & factum Concilium Tridentinum præcipiat, ne- mini licere sacram Scripturam interpre- tari contra communem SS. Patrum ex- positionem, verba illius hæc sunt : Ad co- ercenda petulantia ingenia decernit sacro- sancta Synodus, ut nemo suæ prudentiæ in- mixtus in rebus fidei, & morum, ad edifica- tionem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad ipsos sensus contorquens, contra eam sensum, quem tenuit & tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum, aut etiam contra unanimum consensum Pa- trum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiam si huiusmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edenda forent. Qui contrafecerint, per Ordinarios de- clarentur, & penis à Iure statutis puniantur. Inde aperte efficitur prædictam expoli- tionem verissimam esse, & absque graui temeritatis nota non posse ab omnibus non acceptari. Secundum idipsum mihi probat, quod ex ipsa lege palam depre- headitur ob Marianæ virginis mysterium,

sterium, conditionem illam fuisse appo-
sitam, cum solum adhibeatur in foemina
pariente masculinum: *Mulier, inquit, si su-
scipio semine pepererit masculinum: non vero
in muliere pariente foeminam, de qua
postea dicitur: Si autem foeminam pepere-
rit. Cur enim non similiter dixit: Si
autem suscepto semine foeminam pepererit?*
nisi quia una tantum mulier futura e-
rat, quae non suscepto semine, ma-
sculum erat paritura, ad quam solum
excipiendam, fuit ea particula adhi-
benda? Atque hoc eodem modo LXX.

Interpres legem illam intellexerunt, sic
enim vertunt: *Mulier quaecumque, si se-
minata fuerit, hoc est, semen a viro rece-
perit.*

Tertium tandem, quod eandem a-
stituit expositionem, est, quod ea, quae ab
Episcopo Abulensi, Card. Caietano, Ian-
scacio, & Olcastro, qui auri sunt illam la-
befadare, obijciuntur, parui momenti
sunt, & facile diluuntur. auri enim in
primis, nullum mysterium latere in illis
verbis, quia in eis non est sermo de semi-
ne, quod est principium generationis,
sed de semine accepto pro prole seu fatu,
ut accipitur in Gen. li: *Inimicitias ponam
inter te, & mulierem, & semen tuum, &
semen illius:* Hebraeus enim textus sic
habet: *Mulier, si Faxiangh, id est, si se-
men fecerit, semen autem facere idem
est, quod prolem generare;* eodemq; mo-
do exponitur in Lexico Complutensi
Hebraeo legente: *Mulier si seminaverit, id
est, genuerit:* neque lectio editionis
vulgatae ab hac abhorret intelligentia,
cum saepe ipsa semen pro filio, & prole v-
suset, ut patet in verbis illis Genesis:
Mihi autem non dedisti semen, id est, filium,
& ex illis libri primi Regum: *Reddat tibi
Dominus semen de muliere hac.* Deinde
hanc annectunt rationem: quia si lex
illa Levitici fuisset lata sub conditione
propter Virginitatem, opus quidem erat, ut
aliquid Virgini prodesset vel ad hoc, vt
à iudaeis crederetur absque virili semine
concepisse, quod tamen è contra factum

fuisse videmus, cum D. Lucas expresse di-
cat: *Christum Dominum putatum fuisse fi-
lium Ioseph: vel certe, vt immunitis ef-
set à lege purificationis re ipsa impien-
da, quam tamen ex Evangelica lectione
constat implevisse in hac avarum partu-
rientium; cum igitur ad neutrum isto-
rum ei profuerit, videtur sane non fuisse
additam illam particulam ad Mariam
excipiendam. Verum prima istarum ob-
iectionum ex eo facile evanescit, quod
(vt adnotant Hebraicae linguae periti)
verbum Hebraicum, quod est in originali,
proprie significat serere, & seminare, vt &
in verbis illis Davidicis: *Qui seminat in
lacrymis, in exultatione metet: semen de-
inde non solum pro filio, sed etiam pro
principio generationis accipitur, veluti
Gen. Germinet terra herbarum viventem.**

Gen. 2.
facientem semen: quare optime vertit
vulgaris: *Mulier, si suscepto semine:* & ita
quoque legunt Galatinus, & Adrianus
Finus, linguae Hebraicae peritissimi. Se-
cunda etiam obieccio debilis est, quia spi-
ritus sanctus, qui fuit legislator, non in-
tendebat per illam legem, vt illo tempore
omnibus palam fieret inuolata Mariae
virginitas, aut quod illa purificationis
legem non impleteret, sed vt postea laben-
tibus annis, quando Iudaei, & Haeretici
Marianam integritatem impeterent, ce-
lebre hoc testimonium à catholicis eis
obijceretur, quo vel sacram Scripturam
negare, vel Mariae virginitatem profiteri,
nisi dementati sint, compellantur.

Tertium ac percelebre testimonium
ad corroborandam Catholicam verita-
tem de perpetua Deiparae virginitate de-
sumo ex verbis illis Salomonis: *Tria sunt
mibi difficilia, & quae sunt penitus ignora:
viam aquilae in caelo, viam colubri super pe-
tram, viam navis in medio maris, viam viri
in adolescentula:* Scio LXX. praesertim in
editione facta ex mandato Clem. V. Li. I.
legere, *in adolescentia,* sicut & Beda, immo
& D. Hier. eam lectionem accipiat, & ex
ponit in commentario huius loci, nec-
non & D. Ambros. li. i. de Salomone, & de
obitu

Ccccc 2 obitu

Abulens. q.
2. super 12.
cap. Levit.
Ceter. ibid.
Ioseph. in co-
cord. Evang.
Oleus. in 12.
c. Levit.
Gen. 3.
Interpres
Graecum.

Lexicon
Complut.
Hebr.

Gen. 15.
1. Reg. 2.

Luc. 30

Psal. 125

Gen. 2.

Galatin. li. 7.
arcan. c. 14.
Adrian. Fin.
lib. 2. flagell.
cont. Iud.
ca. 3.

Prover. 30

D. Hieron.

D. Ambros.

obitu Valentiniani Imperatoris, vbi legit *viam viri in iuuentute*, eaque lectio quandoque reperitur in aliquibus codicibus nostrae vulgatae: & qui hanc lectionem sequuntur, vt Beda, & alij volunt scopum Salomonis esse, indicare instabilitatem vitae adolescentium, ad quod proponit tres illas vias aquilę in aere, &c. quarum nullum relinquitur vestigium, vt sic postea difficillimam cognitu constituat esse viam viri in adolescentia, quia via vitae illius volubilis, varia, & instabilis est, ac in diuersa frequenter rapitur, & per momenta mutatur, ita vt difficile sit apprehendere, quo tendat, cum instar quatuor illorum ventorum inter se pugnantium, quos vidit Daniel in mari, cogitationes variae pugnent in corde vagi, & liberi adolescentis, de quo Poeta Lyricus in arte Poet. dixit:

Dan. 7.

Orat. in arte. ante med.

*Careus in vitium flecti, monitoribus aper,
Vtilium tardus promissor, prodigis aris;
Sublimis, cupidusque & amata relinquere
pernix.*

Verum licet hanc expositionem minime improbemus, nonnullas tamen patitur difficultates, tum quia originale Hebraeum habet: *viam viri in Halma*, id est, adolescentula abscondita, & incognita viro, vnde D. Hieron. super cap. 7. Isaia, inquit: *Halma non solum puella vel virgo, sed cum epitafi, Virgo abscondita dicitur, & secreta, quae nunquam virorum patuerit aspectibus, sed magna parentum diligentia custodita sit: lingua quoque punica, quae de Hebraeorum fontibus manare dicitur, proprie virgo Halma appellatur: Et quantum cum mea pugno memoria, nunquam me arbitror Halma in muliere nupta legisse, sed in ea quae Virgo est, vt non solum Virgo sit, sed Virgo iustioris aetatis, & in annis adolescentia, potest enim fieri, vt Virgo sit vetula. nostra vulgata in multis Codicibus, & Paraphrast. Chald. translit: *Viam viri in Virgine*, necnon Pagninus, Lyra, Isidorus, Clarius, & Cardin. Caiet. multi alij etiam existimant LXX. vertisse in adolescentula: Librariorum tamen incuria quidam ausi sunt dicere*

Paraph.
Chald.
Pagnin.
Lyra.
Isidor.
Clarius.
Caiet.

positam fuisse particulam illam, in adolescentia, qui error facile irrepsisse potuit, nec enim illi (inquiunt) ignorare poterunt germanam significationem illius vocis *Halma*: tum quia idem Salomon superius repetit tres illas vias, quas sibi difficiles dixerat, vt sibi notissimas, ideoque illas in exemplum adducit ibi, ad ostendendam vitam humanae instabilitatem: ergo ne dicatur Salomonem sibi contradicere, videtur (aiunt) dicendum tres illas vias, quas intellectu difficiles dixit, alia eleuatiore, & abstrusiora mysteria significare, quam quae materialis aquilae volatus, colubri gressus, & transitus maris praesentent. tum quia cum Salomon tanto sapientiae lumine fuerit illustratus, vt de eo sacra Scriptura dicat: *Deum dedisse illi cor sapiens usque adeo, vt nemo ante illum similis fuerit, nec post eum futurus est: non adeo verisimile est ea sibi difficilia fuisse, quae mediocri Philosopho facillima sunt. Voluit ergo Salomon iuxta hanc versionem ibi virginis parum mysterium nobis reserare, quod sane difficilius est cognitu, quam aquilae volatus, quam via nauis in mari, & colubri semita super petram; haec enim omnia verè sciunt, & diuidunt partes corporum, per quae transeunt; in transitu vero Christi Domini, quando per verum partum ex materno utero prodiit, nulla virginis signaculi scissura facta est; & ideo nullum alicuius diuisionis vestigium in ea remansit, adeo vt si fingeretur, ipsam matrem negare se peperisse, non esset vnde posset mendacij conuinci. Iuuatque non parum hanc expositionem, quod in eod. cap. 10. Salomon vere agit de filio Dei, cum dicat: *Quis ascendit in caelum, atque descendit? quis conuincit spiritum in manibus suis? &c.* Iuuat etiam, quod Salomon non sine mysterio dixit: *Viam viri, non adolescentis*, quia scilicet Christus Dominus, de quo agebat, ab instanti conceptionis in utero matris non vir fuit, id est, homo praeditus ratione, & discursu, alij vero in coinstanti*

non

Ierem. 31. non viri, sed infantes appellantur. Vade propter eandem rationem Ierem. 31. dixit: *Femina circumdabit virum, non adulescentem, aut infantem; quare iuxta hanc lectionem sensus erit illius loci: Tria sunt difficultia mihi, Hebraicè admirabilia, Græcè impossibilia ad cognoscendum lumen naturæ, ac perinde supernaturalia. quod præsertim affirmat Hierony. de presenti mysterio ferm. de Assumpt. tom. 4. dicens: Quod natura non habuit, visus nescit, ignorat ratio, mens non concipit humana, pavet cælum, stupet terra, creatura etiam celestis miratur, hoc totum est, quod per Gabrielem Mariæ promittitur, & per Spiritum sanctum adimpletur.*

Ioan. 3. Salomoni ergo visa est mirabilis via Aquilæ in cælo, cum Christus, ut Aquila in cælum ascendit, pandens iter ante eos, quod nullus ante eum aperuerat, quia ut ipse dixit Ioan. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo filius hominis, qui est in cælo.* visa etiam est mirabilis via serpentis super petram, cum Christus serpens salutaris figuratus per serpentem æneum Moysis, egrediens ex sepulchri spelunca, petram superpositam ita subtiliter penetravit, ut à nullo videri penitus potuerit, qua transierit. Visa etiam mirabilis est navis in mari, quia cum Christus, ut navis, tot laborum, passionum, & mortis fluctibus agitatus fuerit, nullius tamen unquam impatientiæ naufragium pertulit. huic autem tertiæ viæ quartam addit Salomon, quam ingenue se ignorare fateretur, scilicet, *Viam viri in Virgine*, id est, qua ratione Christus Dominus absq; virili semine fecerit sibi viam ad ingrediendum utrum virgineum: nec mirum certè hoc Salomoni difficile sibi visum fuisse, cum eandem difficultatem agnoscens B. Virgo Angelo conceptum Christi ei annuncianti obiecerit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*

Luce 1. **R. Accados** apud Galat. lib. 7. de artanis facte Scripse.

Cæterum, ut Iudæis omnem viam præcludamus ad reiciendam hanc expositionem, addendum est eam tradidisse R. Accados, quem ipsi sancti Doctorem proclamant. hic enim in lib. quem *Arca-*

novum reuelatorem inscripsit, ad petitionem Antonini consulis Romani, qui interpretationem illius loci exquisierat ab eo, respondit hæc verba: *Magnam rem quæ sibi, sed quia scriptum est Prou. 11. qui abscondit firmamentum, id est doctrinam, maledicetur in populis, dicam tibi rem admodum sublimem: & statim ubi dicit expositionem a nobis traditam de integerrima virginitate Mariæ, qua ergo fronte Iudæi illam oppugnare poterunt? Nec refert, quod quidam obiciunt, dissonam esse contextui, quia statim post prædicta verba Salomō: Talis est & via mulieris adulteræ, qua comedit & tergens os suum, dicit: Non sum operata malum: ergo in prædicto loco Halma non significat incorruptam virginem, alias perperam compararet eā adulteræ. Respondetur primò, hanc clausulam independentem esse à præcedenti, & se sola constituere sensum integrum. nam ut exponit ibi R. Accados, verba illa referri debent ad Adam, qui de peccato suo se excusavit dicens: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* in quo sanè imitatus est meretricem, quæ comedit, & tergit os suum, & nihilominus contendit se nihil mali fecisse. Sed secundò, & melius respondetur, quod si velint prædictam clausulam connexionem habere cum supradictis, quia post illas quatuor vias subiungit Salomon quintum de via mulieris adulteræ, tunc verba illa: *talis est via:* referenda sunt ad id, quod superius dixerat: *Tria sunt difficultia mihi*, id est, admirabilia: eodem ergo modo mirabilem ait esse *viam mulieris adulteræ*, id est Euxæ, quæ nescias, quod tenderet in mortem, dedit se in præcipitium illius: Eua enim comedit contra Dei præceptum & tergit os suum, excusando se, & dixit: *non sum operata malum*, reiciens culpam in serpentem. Tertio, Nicolaus de Lyra, & Adrianus Finus præcitat locis respondentem, cū subiungitur: *Talis est via mulieris adulteræ:* non de communi adultera sermonè esse, sed de Synagoga Iudaica, quæ hoc loco nomine mulieris adulteræ exprimitur: ea*

Prou. 11.

Prou. 31.

R. Accados.

enim in monte Sina in susceptione legis sponsa Dei effecta, statim per adorationem vituli adulterium spirituale commisit, & cum regem Messiam non suscepit, imò impiè in Cruce regetic, negat tamen se quidquam in Deum peccasse, & quasi tergens os suum dicit: *non sum operata malum*; & cum alioquin tanquam fera pessima deuorauerit verum Ioseph, & biberit eius sanguinem, cum Pilato vult lauare manus suas inter innocentes, quæ tamen pleuræ sanguine sunt, ipsis in Christum clamantibus: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros*. Hæc igitur impudentissima proteruita huius meretricis digna est admiratione, quæ cum tam graue necis Christi scelus commiserit, adhuc putat se nihil mali fecisse; vnde ad illa ait Dominus: *Maculata es in iniquitate tua coram me: quomodo dicis, non sum polluta*.

Math. 27.

Caietan.

Tandem obiicit Card. Caiet. in comment. huius loci, licet alioqui retineat lectionem illam: *Viam viri in adolescentula*, quod illa, de qua Salomon hic loquitur, prius fuerat corrupta, vt sensus sit, difficile esse cognoscere viam viri in adolescentula iam ante corrupta; moueturque ea ratione, quoniam via viri in adolescentula virgine, facile deprehenditur, cum signaculum integritatis depercat: at si iam ante sit corrupta, nullo pacto nouus congressus dignoscitur, nec sciri potest, num ad illam rursus vir accesserit: Confirmatque hanc suam expositionem ex sequentibus; nam statim subiugitur: *Talis est via mulieris adulteræ*, quibus verbis manifeste videtur cõcludi sermonem fuisse in præcedentibus de adolescentula iam corrupta. Verum hæc obiectio Caietani, ex doctrina D. Hieronymi, Paraphrastis Chaldaei præcitatæ locis, & germana significatione illius vocis *Halma*, quæ *incorruptam iuuenulam* significat, facile eneuatur. Deinde incredibile est, quod sapienissimus Salomon inter difficilia, quæ sibi videbantur, annumeraret viam incorruptæ puellæ cognoscere, cum id præter li-

bidinem quam præferret, nullam profus vilitatem afferret, aliena que id esset à Salomone, qui Spiritu sancto afflatus hæc loquebatur, cui sit honor, & gloria in secula sæculorum. Amen.

HOMILIA VII.

Integerrimam Mariam virginitatem apertissimè probat celebre illud Isaia vaticinium: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium: quod multiplici eruditione illustratur, & ab hostium calumnijs vindicatur.



NIER omnia sacra Scripturæ monumenta ad veritatem hanc catholicam cõprobendam, illud quidem principem locū tenere arbitror, quod Isaia Propheta scripsit: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*. Ita legit D. Hieron. D. Hieron. & nostra vulgata. Alij ad lectionem Hebræam, vt sibi videtur, magis accedentes, vertunt: *Ecce Virgo prægnans, & pariet filium*. Alij cum Vatablo, & Pagnino transferunt: *Ecce Virgo prægnans, & seta*, sed in idem redit. Alij tandem: *Ecce Virgo gravidata pariet filium*. quibus verbis clarè prædixit Isaia inuiolatam Mariæ virginitatem cum ipsam prægnantem & parientem Virginem compellet. Triplici tamen via contendunt Marianæ virginitatis hostes vim huius illustris loci eneuare. primò respondent falso nos legere apud Isaia: *Ecce Virgo concipiet*: nam loco illius verbi *Virgo* in originali Hebræo est verbum *Halma*, quod significat *puellam*, siue *adolescentulam*, siue *iuuenulam*, hanc solutionem amplexi sunt postea duces Ebionitarum, Theodosion Ephesius, & Aquila Ponticus. Sed cõtra est: nam, vt refert Galatinus lib. 7 de Arcanis, R. Dauid Kimki in libr. Sciarascim, radice 244. *Halma* à verbo *Halâm* deriuatur, quod